









1768, 16.  
No. 82.

SPECIMEN

CONTINENS

CAPVT IVRIS CONTROVERSVM

DE

MORTIS CAUSA DONATIONE

Q V A

TITVLO IVSTO VSVCAPIONIS

Q V O D

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE III. SEPTEMBR. ANNO MDCCCLXVIII.

PVBLICE DEFENDET

M. IOANNES CHRISTIANVS HEINSIVS

BVDISS. LVSAT.

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.





SPECIMEN  
CONTINENS  
CAPUT IVRIS CONTROVERSAM  
DE  
MORTIS CAUSA DONATIONE  
Q. V. A.  
TITULO IVSTO VSCAPIONIS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
P. R. A. E. S. I. D. E.  
D. CHRISTIANO HENR. BRVNNING  
PROFESSOR PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITTE. DALSBVRG.  
SOCIO

IN AVDIOTORIO PETRINO  
DIE III. SEPTEMB. ANNO MDCCCXXVII  
PVBLLICE DEFENDIT  
M. IOANNES CHRISTIANVS HEINSIVS  
ADVRS. LVST.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEIM.





ILLVSTRISSIMO  
ATQVE GENEROSISSIMO DOMINO  
D O M I N O  
RVDOLPHO DIETERICO  
DE SCHOENBERG

DOMINO HAEREDITARIO IN THAMMENHAYN  
ELECTORALIS CVBICVLI  
C O M I T I  
CAET. CAET.

MAECENATI OPTVMO

D. D. D.

M. IOANNES CHRISTIANVS HEINSIVS.



ILLVSTRISSIMO  
ATAVE GENEROSISSIMO DOMINO  
D O M I N O  
RADOLPHO DIETTERICO  
DE SCHOENBERG

DOMINO HAEREDITARIO IN THAMMENHAYN  
ELECTORALIS CAVICALLI  
C O M I T I  
CAET. CAET.

MAECENATI OPTIMO

M. IOANNES CHRISTIANVS HEINSIVS  
d. d. d.





DOMINE  
ILLVSTRISSE ATQVE GENEROSISSE

M A E C E N A S

INDVLGENTISSE

MORTIS CAUSA DONATIONE  
ILLVSTRISSE

I N I M O N O V T

**C**ui vero ob singularem gratiam, DOMINE  
ILLVSTRISSE, magis me obstrictum  
publice profitear, meaeque gratitudinis  
monumenta ponam, quam TIBI, cui omnem ha-  
ctenus felicitatem meam gratiosissime debeo.  
Omnem expectaui occasionem auide explendi of-  
ficium gratitudinis atque deuotionis, et iam eo  
luben-



lubentius arripio, quā maius meum est officium.  
Permitte ergo, ut has studii mei primitias  
TVO ILLUSTRISSIMO NOMINI sacras esse iu-  
beam, non quod tanto honore dignas censeam,  
sed quod alia desit publica occasio ostendendi,  
quam obstrictissimum TVAE Gratiae me sen-  
tiam, et simul supplicandi, velis huic summae  
TVAE Gratiae amplius me commendatissimum ha-  
bere, qui semper ero

ILLUSTRISSIMO  
TVO NOMINI

Lipſiae

d. III. Septembr.

MDCLXXVIII



DEVOTISSIMVS

M. IOANNES CHRISTIANVS HEINSIVS.





DE  
**MORTIS CAUSA DONATIONE**

Q V A  
TITVLO IVSTO VSVCAPIONIS.



Paradoxon omnino est ex communi opinione, vscapiendo acquirere dominium titulo donationis mortis causa. Neque nego, interdum titulum hunc ad acquirendum dominium minus habilem esse; attamen vtiq; falsum est, hoc in genere adfirmare. Vtrumque ergo legibus suffulciendum est. Tentabimus, hanc sententiam breuiter exponere, praemissis antea monitis quibusdam de mortis causa donatione, quae ad intelligendum rectius thema controuersum pertinent.

A 2

§. II.






## §. II.

Mortis causa donatio, quam HOMERI autoritate exemploque Telemachi defendebant veteres Icti, maxime Marcianus, actus est, quo quis accipienti donat ea mente, non ut statim, sed demum post mortem vel superato alio periculo valere incipiat. Huius ergo liberalitatis valor pendet a mortis euentu donatoris. Quare videtur fluctuare inter pactum interque ultimam voluntatem. Forma enim pacti in hac donatione adesse debet, scilicet consensus inter donatorem interque eum, cui donatur, qui accipiendo perfectam efficit donationem. Contra, cum haec liberalitas, quamvis perfecta sit consensu, non perfecte quoque obligat donatorem, sed spem tantum transferat in donarium, donatori vero liberum retrahendi donationem relinquat arbitrium, conuenit cum ultimis voluntatibus, quae semper ambulatoria esse debet. Hinc non tantum Imperator SEVERVS legem Falcidiam extendit ad mortis causa donationes, verum cum postea ad ultimam minus solemnem voluntatem iura quinque testium praesentiam exigerent, in ipsa mortis causa donatione idem testium numerus statutus est.

## §. III.

Quae cum ita sint, mirum non est, si mortis causa donatio legatis comparatur. Testatur hoc VLPPIANVS in L. 37. pr. 7. de mortis caus. donat. Illud, inquit, generaliter meminisse oportebit, donationes mortis causa factas legatis comparandas; quodcumque igitur in legatis iuris est, id in mortis causa donationibus erit accipiendum. Hinc poterat recte SCTO comprobari, ne quid incapaci personae mortis causa donare liceret, quod SCTum excitat PAVLVVS in L. 25. 7. de mort. caus. donat. Ait: Senatus censuit, placere, mortis causa donatio-





nationes factas in eos, quos lex prohibet capere, in eadem causa haberi, in qua essent, quae testamento his legata essent, quibus capere per legem non liceret. Neque tamen propter hanc legis dispositionem censendum est, nullam intercedere differentiam inter legatum interque mortis causa donationem, sed omnino adesse differentiam. Forma enim semper diversitatem continet, quippe legatum relinquit testator, qui ultimam declarat, nemine legatum acceptante, voluntatem suam; mortis vero causa donatio aliter in regula haud fieri potest, quam acceptante altero, cui donatur. Dein legata res legatario vivo testatore non traditur, in mortis causa donatione, nisi sola promissione perficitur, res donata tradi potest, quam tamen, si reuocauerit donator, reddere debet. Patet ex IULIANO in L. 18. *τ. h. r.* Scribit: *Mortis causa capimus non tunc solum, cum quis suae mortis causa nobis DONAT: sed et si propter alterius mortem id faciat. Veluti si quis filio, vel fratre suo moriente DONET Maeuio ea conditione: ut si conualuerit alteruter eorum, REDDATVR sibi res: si decesserit, MANEAT apud Maeuium.* Ita et in aliis adhuc differunt legata a mortis causa donatione.

§. IV.

Iam ad nostrum thema. Vidimus, donationem mortis causa fieri posse non promissione tantum, verum etiam interueniente rei donatae traditione. Iam oritur quaestio; *an mortis causa donatio constituat iustum vsucapiendi titulum? rei mortis causa donatae atque traditae?* Negat indistincte praeter alios, quos lubens non adscribo HEINECCIUS in *Instit. L. II Tit VI § 443.* Idem sentit BOEHMERVS in *Pandect. L. XLI. Tit. VI. §. 2.* qui addit rationem: *Quia traditio*







ditio sequitur naturam tituli, titulus autem est reuocabilis semper, et sic vim vsucapiendi habere nequit contra donantem, quominus rem donatam reuocare queat. Sed quis ex hac speciali causa generaliter negabit, donationem mortis causa iustum esse non posse vsucapionis titulum.

§. V.

Prouocant quidem, qui negatiuam defendunt sententiam ad autoritatem IULIANI in *L. 13. pr. π. de mort. caus. donat.* Sed an haec Icti vera sit sententia, ex ipsius verbis probare non ausim: Scribit enim: *Si alienam rem mortis causa donauero, eaque vsucapta fuerit: verus dominus eam condicere non potest: sed ego, si conualuero.* Ex verbis: *eaque vsucapta fuerit*, magis apparet contrariae opinionis veritas. Si vero verba ipsius Iuliani accurate intuemur, patet, distinte causam eundem tractasse. Fac, Titium mortis causa donare Sempronio equum, quem ipsemet bona fide emptum a non domino possederat; traditum accipit Sempronius. Cum vero periculum, in cuius euentum donauerat Titius continuet ultra tempus vsucapionis rei mobilis, quaeri potest: an si reuocare velit donationem Titius personalique repetere a Sempronio actione ipsum donatum equum, exceptione vsucapionis se tueri possit Sempronius, qui hunc donatum equum ultra tempus legitimum vsucapionis possederat? et recte negat IULIANVS verbis: *Sed ego* scil. qui donaueram, condicere possum, *si conualuero* i. e. si praeterierit periculum mortis, in cuius euentum equum donaueram. Et huc quadrat, causa, quam supra excitauerat BOEHMERVS, quia ideo datus erat equus, vt donatori reuocare liceret.

§. VI.





## §. VI.

At vero altera species est; Si eundem equum Titius Sempronio mortis causa donauerit, hicque possederit per tantum temporis spatium, quantum requiritur ad vsucapionem adimplendam: Fac, Caium, qui verus equi dominus fuerat, eundem condicere voluisse tanquam rem suam, ab eo, quem quasi ex mortis causa donatione ad restituendum personaliter obligatum censebat. *Vsucapum* censebat *Iulianus* equum et hinc pronunciat: *Verus dominus condicere non potest.* Neque hoc mirum; nam personaliter obligatus domino non erat ad restituendum, dein quamuis ipsemet sibi Sempronius vsucapiendo dominium non acquisiuisset, tamen Titio, cuius nomine videbatur possidere, cum titulo reuocabili possideret, vsucapiendo equum recte acquirebat.

## §. VII.

Adfirmatiuam nostram sententiam quoque defendit *PAVLVS* qui in *L. 33. π. eod. tit.* Ait: *Qui alienam rem mortis causa traditam VSVCEPIT, non ab eo videretur cepisse, cuius res fuisset: sed ab eo, qui occasionem vsucapionis praestitisset.* Dicitur itaque vsucepisse is, cui mortis causa donata res aliena tradita fuerat. Titulus vero huius vsucapionis alius esse haud poterat, quam *mortis causa donatio.*

## §. VIII.

Tandem supra apparuit, comparare leges *mortis causa donationem* cum *legatis* et expresse *Vlpianus* adfirmauerat, quicquid iuris in legatis, iuris quoque in donatione mortis causa esse.



esse. Iam concludo; Cum inter titulos legitimos vsucapiendi compilatores digestorum referant *pro legato*, vt patet ex *Tit. VIII. L. XLI. Digestorum*, recte etiam mortis causa donatio inter iustos titulos eodem sensu referri poterit. Quapropter, si Titius mihi rem alienam, quam bona fide iustoque titulo acquisiuerat a non domino mortis causa donatam tradiderat, neque ipse donationem ante mortem reuocaret, illaque res mortuo Titio apud me remaneret, ego vero per legitimum vsucapionis tempus eandem possiderem, dubium non est, me rem vsucepisse, quippe si aliena res illa legata a me per idem tempus possessa fuisset, eandem vtique vsucepisssem. Praeterea si per aliquod tempus possessa res fuerit a donatore bona fide iustoque titulo, vt in conditione vsucapiendi fuerit constitutus, remque mihi postea mortis causa donauerit, neque reuocauerit, arbitror, prodesse ad adimplendam vsucapionem donatario tempus per quod res bona fide a donatore mortis causa possessa fuerat argumento ducto a legatario autoritate *VLPIANI* in *L. 13. §. 10. π. de acqu. vel omitt. possess.* qui scripserat: *Sed et legatario dandam accessionem eius temporis, quo fuit apud testatorem, sciendum est.* Recte itaque adfirmamus, mortis causa donationem iustum esse titulum vsucapionis perficiendae contra rei verum dominum, quae a non domino donata fuerat, nunquam vero fore praescriptionem iustam ad extinguendum donatoris ius reuocandae rei mortis causa donatae.

T A N I V T Y M.



ULB Halle

3

005 880 491




VD18











1768, 16.  
No. 82.

SPECIMEN  
CONTINENS  
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM  
DE  
MORTIS CAUSA DONATIONE  
QVA  
TITVLO IVSTO VSVCAPIONIS  
QVOD  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE  
CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISVBERG,  
SOCIO  
IN AVDITORIO PETRINO  
DIE III. SEPTEMBR. ANNO MDCCCLXVIII.  
PVBLICE DEFENDET  
IOANNES CHRISTIANVS HEINSIVS  
BVDISS. LVSAT.

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

